UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magna Gloria Domus Novissimæ, Plusquam Primæ Aggæi 2. c. v. 10. Sive Ecclesia Nova Celeberrimæ & Antiquissimæ Abbatiæ Schwarzacensis Ordinis S. Benedicti Majori Gloria & Honore Coronata

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

urn:nbn:de:hbz:466:1-64359

Visual Library

Th
4897

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SCENOGRAPHIA
Novæ Baſilicæ Monaſterÿ ad S. Felicitatem Münſter Schwartzach O.S. Benedicti in Franconia
quam ſuper primum Lapidem à Rdſſ: et Celſſ: D. Christophoro Franciſco Epiſcopo Wirceb: ex Illuſt:
ex Equeſt: Familia ab Hutten in Stoltzenberg An: Xti: 1727 die 7. Menſ: Junÿ poſitum, à Famila-
-rio p.m. ejusdem Monaſterÿ Abbate exſtructam Rdſſ: et Celſſ: S.R.I. Princeps ac Dnus D.
Fridericus Carolus ex Illuſtriſſ: Domo Comitum de Schönborn D.G. Epiſc: Bamb: et
Wirceb: F.O. Dux Ao Glorioſſ: Regnin: Sui Bamb: et Wirceb: decimo quint: Reparatæ
vero Salutis Mil: Septin: quadrag: tertio Benedicti XIV. Summi Pontifi-
-quarto Caroli VII. Bavari Rom: Imp: Secundo, Monaſterÿ à pÿs Fundatoribus Megingaudo et Irminæ
Com: de Rotenburg primum conditi nongent: Vig: Octavo; in honorem Domini ac Salvat: N. J.C. ejusque
Genetricis S.P. Benedicti Ss: Felicitatis et 7. Filiorum ejus, nec non Sebaſtiani M.M. in Feſto
Nativ: B.V.M. Secundum ritus Ecclesiæ conſuetos. Sacratiſſ: manu Suá conſecravit
Christophoro hujus nõis primo Monaſterÿ vero LXI. Abbate et Reli-
-gioſo Conventu humine Famulantibus ac æternam tanti beneficÿ memo-
-riam jugiter Spondentibus
Dnus Balth: Neümann incliti Circuli franconici nec non Rdſſ: et Celſſ: S.R.I. Princi: Bamb: et Wirceb: F.O.D. Rei tormentariæ Colonellus, ejusdemq; in bellicis ac Civilibus, uti et hujus Baſilicæ Architectus primarius delineavit
Balth: Gutwein Aulæ et Universitatis Chalcogr: incidit. Wirceb: 1743

K. 4897.

N. III
32



Ichnographia novæ Baſilicæ Monaſterÿ ad S: Felicitatem Münſter Schwarzach
Ord: S: Benedicti pag: Scenographice exhibitæ.

MAGNA GLORIA DOMUS NOVISSIMÆ, PLUSQUAM PRIMÆ *Aggæi 2. c. v. 10.*

SIVE

ECCLESIA NOVA

CELEBERRIMÆ & ANTIQUISSIMÆ

ABBATIÆ SCHWARZACENSIS

ORDINIS S. BENEDICTI

MAJORI GLORIA & HONORE CORONATA,

QUANDO

REVERENDISSIMUS AC CELSISSIMUS

S. R. I. PRINCEPS AC DOMINUS,

D. FRIDERICUS CAROLUS

DEI GRATIA

EPISCOPUS BAMBERGENSIS, & WIRCEBURGENSIS, FRANCIÆ ORIENTALIS DUX &c. &c.

DOMINUS NOSTER CLEMENTISSIMUS,

MEMORATAM ECCLESIAM RITU SOLENNI CONSECRABAT

Sexto Idus Septembris Anno MDCCXLIII.

SUMMAM HANC PRINCIPALEM GRATIAM

IN ORATORIO MUSICO

GRATULANTE SIBI ABBATIA SCHWARZACENSI.

WIRCEBURGI, Typis Joannis Jacobi Chriſtophori Kleyer, Univ. Typogr.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INTERLOCUTORES.

I. Divina Providentia.

II. Zelus pro Decore Domûs Dei.

III. Genius Reverendiſſimi ac Celſiſſimi Principis.

IV. Genius Eccleſiæ Schwartzacenſis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIME
AC
CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS,
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME.

MAgnam fuiſſe gloriam templi, quod Regum Sapientiſſimus infinitis penè ſumptibus in urbe Hieroſolymitana excitavit, nemo eſt, qui ignoret. Præter quam enim, quòd ampliſſimum fuiſſe illud ex ſacris paginis intelligamus, tantum etiam eidem ſplendorem

addi-

addiderunt hinc lignorum & lapidum, ex quibus conſtructum erat, ſummum pretium, inde artificum ex orbe terrarum univerſo Hieroſolymam confluentium ſolertia, ut artis & orbis miraculis accenſeri ſuo quodam jure debuerit. Nihilo tamen minus Aggæus Propheta ſecundum urbis Hieroſolymitanæ templum à Zorobabele Duce exſtructum primo illi Salomonis longè multúmque anteponere non veretur, dum ait : Magna erit gloria Domûs noviſſimæ, plus quàm primæ. *Non quidem, quòd aut amplitudine aut ſplendore & magnificentia primam domum ſuperare noviſſima videatur, ſed quod Servator Mundi ſuâ poſtremam præſentia eſſet colluſtraturus. Quæ cum ita ſint, quis eſt, qui non in eandem nobiſcum ſententiam concedat, poſtremam hanc Monaſterii Schwartzacenſis Eccleſiam à Januario Abbate piæ memo-*

)(2

riæ

riæ recèns excitatam ſplendore & gloriâ longè eſſe ſuperiorem illis, quas vel Meingaudus Dux Fundator noſter munificentiſſimus, aut Adelbero Epiſcopus Herbipolenſis beneficiorum nobis collatorum magnitudine nulli ſecundus excitârunt? Certè, ut nihil dicamus de ipſa fabricæ magnificentia, ſingularis in illam ſplendor dirivetur neceſſe eſt à Te, REVERENDISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS FRIDERICE CAROLE, *dum eandem pro Tuo in res divinas Zelo planè incredibili ſolenni Eccleſiæ ritu conſecrare dignaris. Habes enim hoc proprium tibi, ut quemadmodum ſol luce omnia, ſic Tu omnia gloriâ compleas. Gloriâ comples Imperium, quod ſapientiſſimum in Te Principem miratur; gloriâ comples Franconiam, quæ Ducem veneratur in Te ſuæ ſaluti & gloriæ natum; gloriâ comples*

 Eccle-

Eccleſiam noſtram, quam quisquis à FRIDERICO CAROLO conſecratam eſſe vel legerit, vel audierit, glorioſam illam pronuntiabit. Pro tanta autem gloriæ magnitudine, quæ à Te REVERENDISSIME AC CELSISSIME PRÆSUL noſtram in Eccleſiam proficiſcitur, cùm debitas Tibi grates perſolvere minùs valeamus, gloriam tibi æternam apprecamur, præter quam meritis Tuis par eſt nulla.

Devotiſſimi Abbas & Conventus
Schwartzacenſ.

PARS PRIMA.

Gloria major Domûs noviſſimæ, plùs quam primæ à magnificentia fabricæ.

Gen Eccl. *Recit.* GLoria & honore
Multiplici decore
Sum coronata ;
Ut palma exaltata
Æmula Sionis Schwartzaci Eccleſia :
Specie ſum multò formoſior,
Quàm cùm *Meingaudus* conditor (a)
Me primò excitavit,
Adelbero locavit (b)
Sacrata ſummo Numini altaria.

ARIA.

UT faces lucent ſtelleæ
Sudo vagantes polo ;
Sic multo clara lumine
Templa hoc ſtabant ſolo :

Sed

(a) Meingaudus Dux primus Abbatiæ Schwartzacenſis Conditor fuit.
(b) Adelbero Epiſcopus Herbipolenſis primam templi fabricam hoſtili flammâ abſumptam reſtauravit.

Sed velut ſtellas Cynthia,
Antiquas, hæc noviſſima
Excellit fabrica
Illuſtri gloriâ.

Zelus. Ut Sponſa ornatur & viro præparatur;
Recit. Semper nitueras;
Sed jam novâ ſpecie & pulchritudine,
Te ipſam ſuperas.
Hujus decorem domûs amavi;
Lapides pretioſos in fundamento collocavi;
Interiorem autem domum
Feci in Sanctum Sanctorum;
Ut ponat ſuper altaria
Sacerdos pura ſacrificia.
Ego *Franciſcum Chriſtophorum* Principem (c)
Excitavi & *Januarium* Præſulem. (d)

ARIA.

EN Turres ſydera
Tangunt; altaria
Quàm ſunt ornata?

Non

(c) Chriſtophorus Franciſcus ex perilluſtri & antiquiſſima Equeſtri DD. ab Hutten in Stoltzenberg familia Epiſcop Wirceburg. F. O. Dux die XVII. Junii anni 1727. primum lapidem poſuit.

(d) Januarius Abbas Monaſterii Schwartz. hujus nominis I. in ſerie Abbatum LX. Eccleſiam novam excitari curavit.

Non tanta gloria
Fulgebant limina
Phœbo ſacrata. (e)
Div.Prov.Rec. Verè pulchra ſunt hæc Tabernacula
Domini Virtutum.
Non eſt in illis macula;
Bis ſeptem ſtant altaria: (f)
Pro his divos Martyres (g)
Septenos pugiles
Feci excubare
Cum Matre vigilare.
Exulta feliciſſima ſedes Divæ Felicitatis!
Tota pura!
O mea cura!
Nova hæc tua gloria
Eſt mea gratia.
Gen. Eccl. Rec. Super omnia opera eſt bonitas tua.
Providum Numen!
Tu tantum lumen
In me derivâſti,
Me illuſtrâſti.
Unde hoc mihi?

)()(DUE-

(e) Delphis Apollo habuiſſe dicitur auguſtiſſimum templum.
(f) Numerat hæc Eccleſia aras 14.
(g) Templum Monaſterii Schwartzacenſis præter D. Felicitatem 7. illius filiis & D. Sebaſtiano ſacrum eſt.

TUETTO.

Gen. Eccl. PEr te meus honor creſcit;
Provid. Amor meus finem neſcit;
Gen. Eccl. Me feciſti ſic ornari;
Div. Prov. Sic te decet exaltari
Ambo. In honorem Numinis.
Gen. Eccl. Tanta cur eſt cura meì?
Div. Prov. Fas eſt ſacram Domum Dei
Ambo. Eſſe plenam luminis.
Div. Prov. Quin plus ornaberis
Et coronaberis
A FRIDERICO CAROLO
Principe maximo.
CAROLE! inclina aurem tuam & attende
ad verba oris mei.
Exardeſcat denuo Zelus tuus!
Quique tuo in palatio
Splendore maximo
Templum excitâſti; (h)
Schwartzaci Eccleſiam
Francidos tuæ gloriam
Conſecrabis.

Gen.

(h) Reverendiſſimus & Celſiſſimus Princeps auguſtiſſimum in arce ſua ſacellum excitavit.

Gen C.P. Loquere Domine! quia audit cor meum
Recit. quod ad te promptus excito.

Ang. Citò.

Quæ vox ſonat in auribus meis? ô propius adveni!

Ang. Veni.

An templum conſecrabo inſtructus pedo & Epiſcopali vittâ?

Ang. ita.

ARIA.

NUminis honori
Patriæ ſplendori
Stet hæc Eccleſia:
Deo conſecrata
Deo dedicata
Sit tota fabrica.
Cœlites deſcendant
Fortiter defendant
Hæc templi limina;
Hinc preces piorum
Ferant beatorum
In ſancta Atria.

PARS II.

Magna Gloria Domûs Noviſſimæ, plus quàm primæ à Conſecratore Reverendiſſimo & Celſiſſimo Principe.

Gen. Eccl. Recit. QUid hoc? me gloria nova veſtivit,
Dum novus Zorobabel meum Limen ſubivit;
CAROLUS FRIDERICUS, cujus auſpiciis
Hæc in honorem Numinis
Dedicatur fabrica.
O quanta copia
Lucis me irradiat?

ARIA.

NOn tam multo lumine
Phœbea lampas nitet,
Dum deſerto flumine
Cœli in axe ridet;
Quantis ego fulgeo
Honoribus ornata,
Quantâ luce ſplendeo
A Duce conſecrata.

Zelus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Zelus. Quid miraris, quod tanta ſis luce circumdata
Recit. A CAROLO conſecrata Eccleſia ?
Quò ſua ponit veſtigia,
Ut Phœbus illuſtrat omnia.
Monumentum funebre (i)
Lucet ab hoc Principe :
Göſsmanſteini Eccleſia (k)
Nova ſplendet gloria.
Templa Wieſendtheudenſia (l)
Sacravit ſuâ dexterâ.
En ipſe novos Honores
Novos tibi ſplendores
Gratulatur.

TRIETTO.

Zelus. GAude fructibus honorum!
Prov. Tandem finis eſt laborum,
Gen. Celſ. dein omnes. Flore perenniter!
Zelus. Nil deſideras decoris,
Prov. Hic mei fructus amoris.
Gen. Celſ. dein omnes. Flore perenniter!

(i Reverendiſs. ac Celſiſs. Princeps Auguſtiſſimum Mauſolæum pro ſuis olim & defunctorum Electorum Principúmque Schönbornianorum cineribus excitatum Anno 1736 conſecravit.

(k) Eccleſiam Goſsmanſteinenſem ſplendidiſſimo apparatu dedicavit anno 1739.

(l) Item Eccleſiam Wieſendtheudenſem initiavit.

Gen.Eccl. Quid retribuam Principi pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Arioſo. Diu Patriam regat!
Suam Franconiam tegat
Armis & provido
Mentis conſilio!

Morbos ſuperi arcete!
Parcæ mortem prohibete!
Servate patriæ
Patrem Franconiæ!

Antè paſcantur in Cœlo feræ,
Squammeus grex natet in arbore:
Quàm Principem dura ſors
Affligat, aut ſubtrahat Mors.

Gen.Celſ. Quæ perſolvis vota,
Rec. Mente mihi devotâ
Accipio.
Sed omnem gloriam
Numini debitam
Attribuo.
Illi ſit ſoli honor & gloria.

ARIA.

ARIA.

DOmino Poli,
Rectori ſoli
Sit æterna gloria.
Hujus honori
Templi ſplendori
Laboravit dextera.

Recit. Venite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro: Cantemus in Templo Domini, quoniam magna eſt gloria ejus.

TUTTI.

MOntes Valles exultate!
Mœni Nymphæ decantate
Novam Templi gloriam!
Templi Saxa triumphate!
Magnam Dei celebrate
Cœlitúmque Gratiam.

O. A. M. D. G.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

8 Bl.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN